



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, [1659 erschienen] 1660**

S. Simeon Stylites Ivnior. 24. Maij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-42032**

260 VITÆ S A N C T O R V M . 24 Maij,  
lumina è cœlo. & stellam adfuisse. Ex Ferrar,

Confirma amicitiam cum SS. Angelis ; intra in  
civitatem Dei : Apostolis Martyribus qz sociare ;  
unde illi gaudent, inde gaudero. Horum divitias  
concupisco. & per bonam emulationem illorum  
suffragia ambito : cum quibus enim fuerit consor-  
tium devotionis, erit & communio dignitatis. S.  
Leo serm. 5. de Epiph.

S. SIMEON STYLITES IVNIOR. 24. Maij,

**H** Ominem cælestem , an terrestrem Angelum  
SIMEONEM malis dicere , tanto magis dubi-  
tabis , quantò rectius noveris. Voti parentum con-  
cessus futuræ sanctitatis vatem Christi antea-  
bulonem Ioannem habuit , cui ne quid in ictus  
parsimoniâ concederet , jejunia in cunis inchoa-  
vit , lœvo matris ubere , velut ominis causâ semper  
abstinens. Sexto ætatis anno ab hominum consor-  
tio in loca sola secessit , nunquam tamen solus ; ex-  
litibus easdem cum eo casas habita ntibus. Ex quo  
tempore incommoda naturæ • vel non sensit , vel  
inuisitatis fomentis sustentavit , nectare , vel quo-  
cumque nomine appellari lubet delicias divinitati-  
s , pastus. Exacto in hunc modum sexennio in  
cœnobium immigravit , magnâ Religiose ritu  
commendatione , quam Angelorum contubernio  
eo facto videbatur antetulisse. Sed nimis illuc  
quoque Angelos reperit , haustamque eorum usq;  
innocentiam magnis prodigiis affirmavit ; ut , cum  
leopardum pro fele domestico circumduxit , aut  
cum ad ejus imperium leo puerum à comitibus  
desertum , tergo ad socios subvexit , quæ magistro  
SIMEONIS ansam præbuere , eum ad perpetuam  
in columnis stationem invitandi. Paruit SIMEON ,  
atque corpore juxta animoque supra terram emi-  
nens ,

25. Maij. VITÆ SANC TORVM. 261

nens, ex communi illius ævi sensu columna fuit sustentans orbem terrarum. Nos cùm hæreamus in luto, digito tamen paramus cælum contingere.

Ex Menais & Evagrio.

*Qui non potest sanguinem fundere, potest semetipsum paenitentie velo percutere, & in cordis contritione macerare. Preparetur ad ferendum, jugulum, non deerit remunerator, et si defuerit gladius. Deest carnifex, quicervicē exterius feriat, adest iudex, qui bona voluntatis premiū reddat. S. Pet. Dam. l. 65.*

S. ZENOBIUS EP. 25. Maij.

ZENOBII pueritiam, vivam honestatis imaginem dicas, in quâ neque Dei oculus quidquam reprehenderet: nullus ei unquam cachinnus, nullum verbum insolens excidit; neque eam venustatem insequens ætas violavit, quin corroboravit verius, ut priscæ etiam sanctitatis Antistites Damasous, Ambrosius, Paulinusque ZENOBIVM suspicerent. Mirandorum ejus operum hoc juvenitus specimen habeat. Florentiæ, quæ ZENOBII patria, & Pontificalis sedes fuit, fratres gemini è flore nobilitatis parentum indulgentiâ corrupti in proterviam, occalluerant ad sera matris imperia, non atrocia tantum dicta, sed calces etiam ingere bene monenti ausi; quâ impietate exasperata ultra maternum morem mulier, dirâ imprecatione furias in filiorû caput incitavit. Valuere vota: degeneres illi exemplò infernis obsideri larvis, & impias manus à matre in se se vertere; laniare ora mordicus, & canino invicem duello grassari. Fœditas spectaculi parentis irani misericordiâ mutavit, lamentantis tantum precibus fuisse pondus; nulla erat nisi ZENOBII pietate spes, qui horas duas